

Università degli Studi di Napoli Federico II

Dipartimento di Studi Umanistici

Corso di laurea in Lettere Moderne
III anno

Letteratura latina 2
(M – Z)

TESTI

a.a. 2024 / 2025

Aule

mercoledì	15:30 – 17:30	AULA 4 (SEDECENTRALE)
giovedì	15:30 – 17:30	AULA 4 (SEDE CENTRALE)
venerdì	8:30 – 10:30	Aula FADDA (SEDE CENTRALE)

Prof. Daniele Di Rienzo

CALENDARIO DELLE LEZIONI

	DATA	ARGOMENTO
1	2/10/2024	Introduzione al clima sociale e culturale dell'età giulio-claudia. Intellettuali e potere. Il ruolo della filosofia stoica. Fedro, prologo ed epilogo dei libri I-II
2	3/10/2024	Fedro, prologo ed epilogo dei libri III-V
3	4/10/2024	La figura di Seneca tra <i>otium</i> e <i>negotium</i> . Temi filosofici dai dialoghi e dai trattati. La produzione tragica.
4	9/10/2024	Seneca: traduzione e commento di <i>epist.</i> n. 1 (il corretto uso del tempo)
5	10/10/2024	Seneca: traduzione e commento di <i>epist.</i> n. 7 (il rapporto con la folla)
6	11/10/2024	Seneca: traduzione e commento di <i>epist.</i> n. 8 (i veri beni dell'uomo)
7	16/10/2024	Seneca: traduzione e commento di <i>epist.</i> n. 24 (come affrontare la morte)
8	17/10/2024	Seneca: traduzione e commento di <i>epist.</i> n. 47 (anche gli schiavi sono uomini)
9	18/10/2024	Lucano: un <i>epos</i> di rottura con la tradizione. La tecnica antifrastica. La lettura dell'esametro. Traduzione e commento dal I libro.
10	23/10/2024	Lucano: traduzione e commento dal libro I
11	24/10/2024	La questione petroniana. Un nuovo genere letterario. Petronio tra realismo linguistico e strategie narrative.
12	25/10/2024	L'età flavia. Quintiliano e il ruolo della retorica. Il dibattito intorno alla decadenza dell'oratoria. Il <i>Dialogus de oratoribus</i> di Tacito.
13	30/10/2024	L'evoluzione della satira: dall'ironia di Persio all' <i>indignatio</i> di Giovenale.
14	31/10/2024	Il genere dell'epigramma nel suo rapporto con la tradizione greca e latina. Traduzione e commento di epigrammi dal libro I di Marziale.
15	6/11/2024	Traduzione e commento di epigrammi dal libro I di Marziale.
16	7/11/2024	Le componenti concettuali dell' <i>Agricola</i> . Introduzione al metodo storiografico di Tacito. L'ideologia del principato nelle <i>Historiae</i> e negli <i>Annales</i> .
17	8/11/2024	Traduzione e commento dalla <i>Germania</i> .
18	13/11/2024	Traduzione e commento dalla <i>Germania</i> .
19	14/11/2024	Traduzione e commento dalla <i>Germania</i> .
20	15/11/2024	Traduzione e commento dalla <i>Germania</i> .
21	21/11/2024	Apuleio tra retorica, filosofia e misticismo. <i>Le metamorfosi</i> .
22	22/11/2024	Introduzione alla letteratura latina cristiana. <i>Acta martyrum</i> e <i>Passiones</i> . Gli apologisti: Minucio Felice e Tertulliano
23	27/11/2024	La poesia latina cristiana: Damaso, Prudenzio, Paolino di Nola, Giovenco, l'innografia ambrosiana.
24	28/11/2024	Ambrogio e Simmaco: la questione dell'ara della Vittoria. Ambrogio: l'opera esegetica e omiletica; le epistole.
25	29/11/2024	Girolamo e la <i>Vulgata</i> : teoria e prassi della traduzione.
26	4/12/2024	Agostino: l'itinerario dalla <i>paideia</i> classica alle verità della fede.
27	5/12/2024	Agostino, le <i>Confessiones</i> .
28	6/12/2024	<i>Pervigilium Veneris</i> , Ausonio, Claudiano, Rutilio Namaziano. Cenni alla letteratura latina di età romanobarbarica.
29	11/12/2024	Filologia classica e politica tra Ottocento e Novecento
30	12/12/2024	La persistenza del classico. L'attuale dibattito sulla <i>Cancel Culture</i> .

Lezione 1.

Tacito, *Annales* 4, 34

Cornelio Cosso Asinio Agrippa consulibus Cremutius Cordus postulatur novo ac tunc primum audito crimine, quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. Accusabant Satrius Secundus et Pinarius Natta, Seiani clientes [...] Marci Ciceronis libro quo Catonem caelo aequavit, quid aliud dictator Caesar quam rescripta oratione velut apud iudices respondit? Antonii epistulae Bruti contiones falsa quidem in Augustum probra set multa cum acerbitate habent; carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur: sed ipse divus Iulius, ipse divus Augustus et tulere ista et reliquere, haud facile dixerim, moderatione magis an sapientia. namque spreta exolescunt: si irascere, adgnita videntur.

Fedro

Prologo al libro I

Aesopus auctor quam materiam repperit,
hanc ego polivi versibus senariis.
Duplex libelli dos est: quod risum movet
et quod prudenti vitam consilio monet.
Calumniari si quis autem voluerit,
quod arbores loquantur, non tantum ferae,
fictis iocari nos meminerit fabulis.

Prologo al libro II

Exemplis continetur Aesopi genus;
nec aliud quicquam per fabellas quaeritur
quam corrigatur error ut mortalium,
acuatque sese diligens industria.
Quicumque fuerit ergo narrandi iocus,
dum capiat aurem et servet propositum suum,
re commendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem servabo senis.
sed si libuerit aliquid interponere,
dictorum sensus ut delectet varietas,
bonas in partes, lector, accipias velim
ita, si rependet illi brevitatis gratiam.
Cuius verbosa ne sit commendatio,
attende cur negare cupidus debeas,
modestis etiam offerre quod non petierint.

IX. Auctor (epilogo libro II)

Aesopi ingenio statuam posuere Attici,
servumque collocarunt aeterna in basi,
patere honoris scirent ut cuncti viam
nec generi tribui sed virtuti gloriam.

Quoniam occuparat alter ut primus foret,
ne solus esset, studui, quod superfuit.
nec haec invidia, verum est aemulatio.
Quodsi labori faverit Latium meo,
plures habebit quos opponat Graeciae.
Si Livor obtrectare curam voluerit,
non tamen eripiet laudis conscientiam.
si nostrum studium ad aures pervenit tuas,
et arte fictas animus sentit fabulas,
omnem querellam submovet felicitas.
Sin autem rabulis doctus occurrit labor,
sinistra quos in lucem natura extulit,
nec quidquam possunt nisi meliores carpere,
fatale exilium corde durato feram,
donec Fortunam criminis pudeat sui.

Lezione 2.

Prologo al libro III

Phaedri libellos legere si desideras,
vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
ut liber animus sentiat uim carminis.
"Verum" inquis "tanti non est ingenium tuum,
momentum ut horae pereat officiis meis." 5
Non ergo causa est manibus id tangi tuis,
quod occupatis auribus non conuenit.
Fortasse dices "Aliquae uenient feriae,
quae me soluto pectore ad studium uocent."
Legesne, quaeso, potius viles nenias, 10
impendas curam quam rei domesticae,
reddas amicis tempora, uxori uaces,
animum relaxes, otium des corpori,
ut adsuetam fortius praestes uicem?
Mutandum tibi propositum est et vitae genus, 15
intrare si Musarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixa est iugo,
in quo Tonanti sancta Mnemosyne Iovi
fecunda novies, artium peperit chorum,
quamvis in ipsa paene natus sim schola, 20
curamque habendi penitus corde eraserim,
nec Pallade hanc invita in vitam incubuerim,
fastidiose tamen in coetum recipior.
Quid credis illi accidere qui magnas opes
exaggerare quaerit omni vigilia, 25
docto labori dulce praeponens lucrum?
Sed iam, "quodcumque fuerit," ut dixit Sinon
ad regem cum Dardaniae perductus foret,
librum exarabo tertium Aesopi stilo,
honori et meritis dedicans illum tuis. 30
Quem si leges, laetabor; sin autem minus,
habebunt certe quo se oblectent posterii.
Nunc, fabularum cur sit inventum genus,
Breui docebo. Servitus obnoxia,
quia quae volebat non audebat dicere, 35
affectus proprios in fabellas transtulit,
calumniamque fictis elusit iocis.
Ego illius pro semita feci viam,
et cogitavi plura quam reliquerat,
in calamitatem deligens quaedam meam. 40
Quodsi accusator alius Seiano foret,
si testis alius, iudex alius denique,
dignum faterer esse me tantis malis,
nec his dolorem delenirem remediis.
Suspicione si quis errabit sua, 45
et, rapiens ad se quod erit commune omnium,
stulte nudabit animi conscientiam,
huic excusatum me velim nihilo minus.

Neque enim notare singulos mens est mihi,
 verum ipsam vitam et mores hominum ostendere. 50
 Rem me professum dicet fors aliquis gravem.
 Si Phryx Aesopus potuit, Anacharsis Scythes
 aeternam famam condere ingenio suo,
 ego litteratae qui sum proprior Graeciae
 cur somno inertī deseram patriae decus, 55
 Threissa cum gens numeret auctores deos,
 Linoque Apollo sit parens, Musa Orptheo,
 qui saxa cantu movit et domuit feras
 Hebrique tenuit impetus dulci mora?
 Ergo hinc abesto, Livor, ne frustra gemas, 60
 quom iam mihi sollemnis dabitur gloria.
 Induxi te ad legendum? sincerum mihi
 candore noto reddas iudicium peto.

Epilogo libro III

Supersunt mihi quae scribam, sed parco sciens:
 primum, esse videar ne tibi molestior,
 dstringit quem multarum rerum varietas;
 dein, si quis eadem forte conari velit,
 habere ut possit aliquid operis residui; 5
 quamuis materiae tanta abundet copia,
 labori faber ut desit, non fabro labor.
 Breuitatis nostrae praemium ut reddas peto
 quod es pollicitus; exhibe vocis fidem.
 Nam vita morti propior est cotidie; 10
 et hoc minus redibit ad me muneris,
 quo plus consumet temporis dilatio.
 Si cito rem perages, usus fiet longior;
 fruar diutius si celerius coepero.
 Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae, 15
 auxilio locus est: olim senio debilem
 frustra adiuvere bonitas nitetur tua,
 cum iam desierit esse beneficio utilis,
 et Mors vicina flagitabit debitum.
 Stultum admovere tibi preces existimo, 20
 proclivis ultro cum sis misericordiae.
 Saepe impetravit veniam confessus reus:
 quanto innocenti iustius debet dari?
 Tuae sunt partes; fuerunt aliorum prius;
 dein simili gyro venient aliorum vices. 25
 Decerne quod religio, quod patitur fides,
 ut gratuler me stare iudicio tuo.
 Excedit animus quem proposui terminum,
 sed difficulter continetur spiritus,
 integritatis qui sinceræ conscius 30
 a noxiorum premitur insolentiis.
 Qui sint, requiris. Apparebunt tempore.
 Ego, quondam legi quam puer sententiam
 "Palam muttire plebeio piaculum est,"

dum sanitas constabit, pulchre meminero. 35

Prologo al libro IV (Poeta ad Particulonem)

Cum destinassem terminum operi statuere,
in hoc ut aliis asset materiae satis,
consilium tacito corde damnavi meum.
Nam si quis etiam talis est tituli appetens,
quo pacto divinabit quidnam omiserim, 5
ut illud ipse incipiat famae tradere,
sua cuique cum sit animi cogitatio
colorque proprius? Ergo non levitas mihi,
sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis, 10
(quas Aesopias, non Aesopi, nomino,
quia paucas ille ostendit, ego plures sero,
usus vetusto genere sed rebus novis,)
quartum libellum cum vacaris perleges.
Hunc obtrectare si volet malignitas, 15
imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi parta laus est quod tu, quod similes tui
vestra in chartas verba transfertis mea,
dignumque longa iudicatis memoria.
Inlitteratum plausum nec desidero. 20

Epilogo libro IV (Poeta ad Particulonem)

Adhuc supersunt multa quae possim loqui,
et copiosa abundat rerum varietas;
sed temperatae suaves sunt argutiae,
immodicae offendunt. Quare, vir sanctissime,
Particulo, chartis nomen victurum meis, 5
Latinis dum manebit pretium litteris,
si non ingenium, certe brevitatem adproba;
quae commendari tanto debet iustius,
quanto cantores sunt molesti validius.

Prologo al libro V (Idem Poeta)

Aesopi nomen sicubi interposuero,
cui reddidi iam pridem quicquid debui,
auctoritatis esse scito gratia;
ut quidam artifices nostro faciunt saeculo,
qui pretium operibus maius inveniunt novis 5
si marmori adscripserunt Praxitelen suo,
trito Myrone argento, tabulae Zeuxidem.
Adeo fucatae plus vetustati favet
invidia mordax quam bonis praesentibus.
Sed iam ad fabellam talis exempli feror. 10

Epilogo libro V (fabula X. Canis vetulus et venator)

Aduersus omnes fortis et velox feras
canis cum domino semper fecisset satis,
languere coepit annis ingravantibus.
Aliquando obiectus hispidi pugnae suis,
arripuit aurem; sed cariosis dentibus 5
praedam dimisit rictus. Venator dolens
canem obiurgabat. Cui latrans contra senex:
"Non te destituit animus, sed vires meae.
Quod fuimus laudas, si iam damnas quod sumus."
Hoc cur, Philete, scripserim pulchre vides. 10

Lezione 4

I. SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

[1] Ita fac, mi Lucili: vindica te tibi, et tempus quod adhuc aut auferebatur aut subripiabatur aut excidebat collige et serva. Persuade tibi hoc sic esse ut scribo: quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt. Turpissima tamen est iactura quae per negligentiam fit. Et si volueris attendere, magna pars vitae elabatur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota vita aliud agentibus. [2] Quem mihi dabis qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem aestimet, qui intellegat se cotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem prospicimus: magna pars eius iam praeterit; quidquid aetatis retro est mors tenet. Fac ergo, mi Lucili, quod facere te scribis, omnes horas complectere; sic fiet ut minus ex crastino pendeas, si hodierno manum inieceris. [3] Dum differtur vita transcurrit. Omnia, Lucili, aliena sunt, tempus tantum nostrum est; in huius rei unius fugacis ac lubricae possessionem natura nos misit, ex qua expellit quicumque vult. Et tanta stultitia mortalium est ut quae minima et vilissima sunt, certe reparabilia, imputari sibi cum impetravere patiantur, nemo se iudicet quicumque debere qui tempus accepit, cum interim hoc unum est quod ne gratus quidem potest reddere. [4] Interrogabis fortasse quid ego faciam qui tibi ista praecipio. Fatebor ingenue: quod apud luxuriosum sed diligentem evenit, ratio mihi constat impensae. Non possum dicere nihil perdere, sed quid perdam et quare et quemadmodum dicam; causas paupertatis meae reddam. Sed evenit mihi quod plerisque non suo vitio ad inopiam redactis: omnes ignoscunt, nemo succurrit. [5] Quid ergo est? non puto pauperem cui quantulumcumque superest sat est; tu tamen malo serves tua, et bono tempore incipies. Nam ut visum est maioribus nostris, 'sera parsimonia in fundo est'; non enim tantum minimum in imo sed pessimum remanet. Vale.

Lezione 5

VII. SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

[1] Quid tibi vitandum praecipue existimes quaeris? turbam. Nondum illi tuto committeris. Ego certe confitebor imbecillitatem meam: numquam mores quos extuli refero; aliquid ex eo quod composui turbatur, aliquid ex iis quae fugavi redit. Quod aegris evenit quos longa imbecillitas usque eo affecit ut nusquam sine offensa proferantur, hoc accidit nobis quorum animi ex longo morbo reficiuntur. [2] Inimica est multorum conversatio: nemo non aliquod nobis vitium aut commendat aut imprimit aut nescientibus allinit. Uti quoque maior est populus cui miscemur, hoc periculi plus est. Nihil vero tam damnosum bonis moribus quam in aliquo spectaculo desiderare; tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. [3] Quid me existimas dicere? avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior? immo vero crudelior et inhumanior, quia inter homines fui. Casu in meridianum spectaculum incidi, lusus exspectans et sales et aliquid laxamenti quo hominum oculi ab humano cruore acquiescant. Contra est: quidquid ante pugnatum est misericordia fuit; nunc omissis nugis mera homicidia sunt. Nihil habent quo tegantur; ad ictum totis corporibus expositi numquam frustra manum mittunt. [4] Hoc plerique ordinariis paribus et postulatiis praeferunt. Quidni praeferant? non galea, non scuto repellitur ferrum. Quo munimenta? quo artes? omnia ista mortis morae sunt. Mane leonibus et ursis homines, meridie spectatoribus suis obiciuntur. Interfectores interfecturis iubent obici et victorem in aliam detinent caedem; exitus pugnantium mors est. Ferro et igne res geritur. [5] Haec fiunt dum vacat harena. 'Sed latrocinium fecit aliquis, occidit hominem.' Quid ergo? quia occidit, ille meruit ut hoc pateretur: tu quid meruisti miser ut hoc spectes? 'Occide, verbera, ure! Quare tam timide incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parum libenter moritur? Plagis agatur in vulnera, mutuos ictus nudis et obviis pectoribus excipiant.' Intermissum est spectaculum: 'interim iugulentur homines, ne nihil agatur'. Age, ne hoc quidem intellegitis, mala exempla in eos redundare qui faciunt? Agite dis immortalibus gratias quod eum docetis esse crudelem qui non potest discere. [6] Subducendus populo est tener animus et parum tenax recti: facile transitur ad plures. Socrati et Catoni et Laelio excutere morem suum dissimilis multitudo potuisset: adeo nemo nostrum, qui cum maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest. [7] Unum exemplum luxuriae aut avaritiae multum mali facit: convictor delicatus paulatim enervat et molliat, vicinus dives cupiditatem irritat, malignus comes quamvis candido et simplici rubiginem suam affricuit: quid tu accidere his moribus credis in quos publice factus est impetus? [8] Necessum est aut imiteris aut oderis. Utrumque autem devitandum est: neve similis malis fias, quia multi sunt, neve inimicus multis, quia dissimiles sunt. Recede in te ipse quantum potes; cum his versare qui te meliorem facturi sunt, illos admitte quos tu potes facere meliores. Mutuo ista fiunt, et homines dum docent discunt. [9] Non est quod te gloria publicandi ingenii producat in medium, ut recitare istis velis aut disputare; quod facere te vellem, si haberes isti populo idoneam mercem: nemo est qui intellegere te possit. Aliquis fortasse, unus aut alter incidet, et hic ipse formandus tibi erit instituendusque ad intellectum tui. 'Cui ergo ista didicisti?' Non est quod timeas ne operam perdidideris, si tibi didicisti. [10] Sed ne soli mihi hodie didicerim, communicabo tecum quae occurrunt mihi egregie dicta circa eundem fere sensum tria, ex quibus unum haec epistula in debitum solvet, duo in antecessum accipe. Democritus ait, 'unus mihi pro populo est, et populus pro uno'. [11] Bene et ille, quisquis fuit - ambigitur enim de auctore -, cum quaereretur ab illo quo tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos perventurae, 'satis sunt' inquit 'mihi pauci, satis est unus, satis est nullus'. Egregie hoc tertium Epicurus, cum uni ex consortibus studiorum suorum scriberet: 'haec' inquit 'ego non multis, sed tibi; satis enim magnum alter alteri theatrum sumus'. [12] Ista, mi Lucili, condenda in animum sunt, ut contempnas voluptatem ex plurium assensione venientem. Multi te laudant: ecquid habes cur placeas tibi, si is es quem intellegant multi? introrsus bona tua spectent. Vale.

Lezione 6

VIII. SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

[1] 'Tu me' inquis 'vitare turbam iubes, secedere et conscientia esse contentum? ubi illa praecepta vestra quae imperant in actu mori?' Quid? ego tibi videor inertiam suadere? In hoc me recondidi et fores clusi, ut prodesse pluribus possem. Nullus mihi per otium dies exit; partem noctium studiis vindico; non vaco somno sed succumbo, et oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detineo. [2] Secessi non tantum ab hominibus sed a rebus, et in primis a meis rebus: posterorum negotium ago. Illis aliqua quae possint prodesse conscribo; salutare admonitiones, velut medicamentorum utilium compositiones, litteris mando, esse illas efficaces in meis ulceribus expertus, quae etiam si persanata non sunt, serpere desierunt. [3] Rectum iter, quod sero cognovi et lassus errando, aliis monstro. Clamo: 'vitate quaecumque vulgo placent, quae casus attribuit; ad omne fortuitum bonum suspiciosi pavidique subsistite: et fera et piscis spe aliqua oblectante decipitur. Munera ista fortunae putatis? insidiae sunt. Quisquis vestrum tutam agere vitam volet, quantum plurimum potest ista viscata beneficia devitet in quibus hoc quoque miserrimi fallimur: habere nos putamus, haeremus. [4] In praecipitia cursus iste deducit; huius eminentis vitae exitus cadere est. Deinde ne resistere quidem licet, cum coepit transversos agere felicitas, aut saltim rectis aut semel ruere: non vertit fortuna sed cernulat et allidit. [5] Hanc ergo sanam ac salubrem formam vitae tenete, ut corpori tantum indulgeatis quantum bonae valetudini satis est. Durius tractandum est ne animo male pareat: cibus famem sedet, potio sitim exstinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit adversus infesta temporis. Hanc utrum caespes erexerit an varius lapis gentis alienae, nihil interest: scitote tam bene hominem culmo quam auro tegi. Contemnite omnia quae supervacuum labor velut ornamentum ac decus ponit; cogitate nihil praeter animum esse mirabile, cui magno nihil magnum est.' [6] Si haec mecum, si haec cum posteris loquor, non videor tibi plus prodesse quam cum ad vadimonium advocatus descenderem aut tabulis testamenti anulum imprimerem aut in senatu candidato vocem et manum commodarem? Mihi crede, qui nihil agere videntur maiora agunt: humana divinaque simul tractant. [7] Sed iam finis faciendus est et aliquid, ut institui, pro hac epistula dependendum. Id non de meo fiet: adhuc Epicurum compilamus, cuius hanc vocem hodierno die legi: 'philosophiae servias oportet, ut tibi contingat vera libertas'. Non differtur in diem qui se illi subiecit et tradidit: statim circumagitur; hoc enim ipsum philosophiae servire libertas est. [8] Potest fieri ut me interrogas quare ab Epicuro tam multa bene dicta referam potius quam nostrorum: quid est tamen quare tu istas Epicuri voces putes esse, non publicas? Quam multi poetae dicunt quae philosophis aut dicta sunt aut dicenda! Non attingam tragicos nec togatas nostras - habent enim hae quoque aliquid severitatis et sunt inter comoedias ac tragoedias mediae -: quantum disertissimorum versuum inter mimos iacet! quam multa Publilii non excalceatis sed coturnatis dicenda sunt! [9] Unum versum eius, qui ad philosophiam pertinet et ad hanc partem quae modo fuit in manibus, referam, quo negat fortuita in nostro habenda:

alienum est omne quidquid optando evenit.

[10] Hunc sensum a te dici non paulo melius et adstrictius memini:

non est tuum fortuna quod fecit tuum.

Illud etiam nunc melius dictum a te non praeteribo:

dari bonum quod potuit auferri potest.

Hoc non imputo in solutum: de tuo tibi.

Vale.

Lezione 7

XXIV. SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

[1] Sollicitum esse te scribis de iudici eventu quod tibi furor inimici denuntiat; existimas me suasurum ut meliora tibi ipse proponas et acquiescas spei blandae. Quid enim necesse est mala accersere, satis cito patienda cum venerint praesumere, ac praesens tempus futuri metu perdere? Est sine dubio stultum, quia quandoque sis futurus miser, esse iam miserum. [2] Sed ego alia te ad securitatem via ducam: si vis omnem sollicitudinem exuere, quidquid vereris ne eveniat eventurum utique propone, et quodcumque est illud malum, tecum ipse metire ac timorem tuum taxa: intelleges profecto aut non magnum aut non longum esse quod metuis. [3] Nec diu exempla quibus confirmaris colligenda sunt: omnis illa aetas tulit. In quamcumque partem rerum vel civilium vel externarum memoriam miseris, occurrent tibi ingenia aut profectus aut impetus magni. Numquid accidere tibi, si damnaris, potest durius quam ut mittaris in exilium, ut ducaris in carcerem? Numquid ultra quicquam ulli timendum est quam ut uratur, quam ut pereat? Singula ista constitue et contemptores eorum cita, qui non quaerendi sed eligendi sunt. [4] Damnationem suam Rutilius sic tulit tamquam nihil illi molestum aliud esset quam quod male iudicaretur. Exilium Metellus fortiter tulit, Rutilius etiam libenter; alter ut rediret rei publicae praestitit, alter reditum suum Sullae negavit, cui nihil tunc negabatur. In carcere Socrates disputavit et exire, cum essent qui promitterent fugam, noluit remansitque, ut duarum rerum gravissimarum hominibus metum demeret, mortis et carceris. [5] Mucius ignibus manum imposuit. Acerbum est uri: quanto acerbius si id te faciente patiaris! Vides hominem non eruditum nec ullis praeceptis contra mortem aut dolorem subornatum, militari tantum robore instructum, poenas a se irriti conatus exigentem; spectator destillantem in hostili foculo dexterarum stetit nec ante removit nudis ossibus fluentem manum quam ignis illi ab hoste subductus est. Facere aliquid in illis castris felicius potuit, nihil fortius. Vide quanto acrior sit ad occupanda pericula virtus quam crudelitas ad irroganda: facilius Porsina Mucio ignovit quod voluerat occidere quam sibi Mucius quod non occiderat.

[6] 'Decantatae' inquis 'in omnibus scholis fabulae istae sunt; iam mihi, cum ad contemnendam mortem ventum fuerit, Catonem narrabis.' Quidni ego narrem ultima illa nocte Platonis librum legentem posito ad caput gladio? Duo haec in rebus extremis instrumenta prospexerat, alterum ut vellet mori, alterum ut posset. Compositis ergo rebus, utcumque componi fractae atque ultimae poterant, id agendum existimavit ne cui Catonem aut occidere liceret aut servare contingeret; [7] et stricto gladio quem usque in illum diem ab omni caede purum servaverat, 'nihil' inquit 'egisti, fortuna, omnibus conatibus meis obstando. Non pro mea adhuc sed pro patriae libertate pugnavi, nec agebam tanta pertinacia ut liber, sed ut inter liberos, viverem: nunc quoniam deploratae sunt res generis humani, Cato deducatur in tutum.' [8] Impressit deinde mortiferum corpori vulnus; quo obligato a medicis cum minus sanguinis haberet, minus virium, animi idem, iam non tantum Caesari sed sibi iratus nudas in vulnus manus egit et generosum illum contemptoremque omnis potentiae spiritum non emisit sed eiecit.

[9] Non in hoc exempla nunc congero ut ingenium exerceam, sed ut te adversus id quod maxime terribile videtur exhorter; facilius autem exhortabor, si ostendero non fortes tantum viros hoc momentum efflandae animae contempsisse sed quosdam ad alia ignavos in hac re aequasse animum fortissimorum, sicut illum Cn. Pompei socerum Scipionem, qui contrario in Africam vento relatus cum teneri navem suam vidisset ab hostibus, ferro se transverberavit et quaerentibus ubi imperator esset, 'imperator' inquit 'se bene habet'. [10] Vox haec illum parem maioribus fecit et fatalem Scipionibus in Africa gloriam non est interrumpi passa. Multum fuit Carthaginem vincere, sed amplius mortem. 'Imperator' inquit 'se bene habet': an aliter debebat imperator, et quidem Catonis, mori? [11] Non revoco te ad historias nec ex omnibus saeculis contemptores mortis, qui sunt plurimi, colligo; respice ad haec nostra tempora, de quorum languore ac delictis querimur: omnis ordinis homines suggerent, omnis fortunae, omnis aetatis, qui mala sua morte praeciderint. Mihi crede, Lucili, adeo mors timenda non est ut beneficio eius nihil timendum sit. [12] Securum itaque inimici

minas audi; et quamvis conscientia tibi tua fiduciam faciat, tamen, quia multa extra causam valent, et quod aequissimum est spera et ad id te quod est iniquissimum compara. Illud autem ante omnia memento, demere rebus tumultum ac videre quid in quaque re sit: scies nihil esse in istis terribile nisi ipsum timorem. [13] Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque maiusculis pueris evenit: illi quos amant, quibus assueverunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expavescunt: non hominibus tantum sed rebus persona demenda est et reddenda facies sua. [14] Quid mihi gladios et ignes ostendis et turbam carnificum circa te frementem? Tolle istam pompam sub qua lates et stultos territas: mors es, quam nuper servus meus, quam ancilla contempsit. Quid tu rursus mihi flagella et eculeos magno apparatu explicas? quid singulis articulis singula machinamenta quibus extorqueantur aptata et mille alia instrumenta excarnificandi particulatim hominis? Pone ista quae nos obstupefaciunt; iube conticiscere gemitus et exclamationes et vocum inter lacerationem elisarum acerbiter: nempe dolor es, quem podagricus ille contemnit, quem stomachicus ille in ipsis delicis perfert, quem in puerperio puella perpetitur. Levis es si ferre possum; brevis es si ferre non possum.

[15] Haec in animo voluta, quae saepe audisti, saepe dixisti; sed an vere audieris, an vere dixeris, effectu proba; hoc enim turpissimum est quod nobis obici solet, verba nos philosophiae, non opera tractare. Quid? tu nunc primum tibi mortem imminere scisti, nunc exilium, nunc dolorem? in haec natus es; quidquid fieri potest quasi futurum cogitemus. [16] Quod facere te moneo scio certe fecisse: nunc admoneo ut animum tuum non mergas in istam sollicitudinem; hebetabitur enim et minus habebit vigoris cum exsurgendum erit. Abduc illum a privata causa ad publicam; dic mortale tibi et fragile corpusculum esse, cui non ex iniuria tantum aut ex potentioribus viribus denuntiabitur dolor: ipsae voluptates in tormenta vertuntur, epulae cruditatem afferunt, ebrietates nervorum torporem tremoremque, libidines pedum, manuum, articularum omnium depravationes. [17] Pauper fiam: inter plures ero. Exul fiam: ibi me natum putabo quo mittar. Alligabor: quid enim? nunc solutus sum? ad hoc me natura grave corporis mei pondus adstrinxit. Moriar: hoc dicis, desinam aegrotare posse, desinam alligari posse, desinam mori posse.

[18] Non sum tam ineptus ut Epicuream cantilenam hoc loco persequar et dicam vanos esse inferorum metus, nec Ixionem rota volvi nec saxum umeris Sisyphi trudi in adversum nec ullius viscera et renasci posse cotidie et carpi: nemo tam puer est ut Cerberum timeat et tenebras et larvalem habitum nudis ossibus cohaerentium. Mors nos aut consumit aut exuit; emissis meliora restant onere detracto, consumptis nihil restat, bona pariter malaque summota sunt. [19] Permite mihi hoc loco referre versum tuum, si prius admonuero ut te iudices non aliis scripsisse ista sed etiam tibi. Turpe est aliud loqui, aliud sentire: quanto turpius aliud scribere, aliud sentire! Memini te illum locum aliquando tractasse, non repente nos in mortem incidere sed minutatim procedere. [20] Cotidie morimur; cotidie enim demitur aliqua pars vitae, et tunc quoque cum crescimus vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adulescentiam. Usque ad hesternum quidquid transit temporis perit; hunc ipsum quem agimus diem cum morte dividimus. Quemadmodum clepsydrum non extremum stilicidium exhaurit sed quidquid ante defluxit, sic ultima hora qua esse desinimus non sola mortem facit sed sola consummat; tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus. [21] Haec cum descripsisses quo soles ore, semper quidem magnus, numquam tamen acrior quam ubi veritati commodas verba, dixisti,

mors non una venit, sed quae rapit ultima mors est.

Malo te legas quam epistulam meam; apparebit enim tibi hanc quam timemus mortem extremam esse, non solam. [22] Video quo spectes: quaeris quid huic epistulae infulserim, quod dictum alicuius animosum, quod praeceptum utile. Ex hac ipsa materia quae in manibus fuit mittetur aliquid. Obiurgat Epicurus non minus eos qui mortem concupiscunt quam eos qui timent, et ait: 'ridiculum est currere ad mortem taedio vitae, cum genere vitae ut currendum ad mortem esset effeceris'. [23] Item alio loco dicit: 'quid tam ridiculum quam appetere mortem, cum vitam inquietam tibi feceris metu mortis?' His adicias et illud eiusdem notae licet, tantam hominum imprudentiam esse, immo dementiam, ut quidam timore mortis cogantur ad mortem. [24] Quidquid horum tractaveris,

confirmabis animum vel ad mortis vel ad vitae patientiam; [at] in utrumque enim monendi ac firmandi sumus, et ne nimis amemus vitam et ne nimis oderimus. Etiam cum ratio suadet finire se, non temere nec cum procursu capiendus est impetus. [25] Vir fortis ac sapiens non fugere debet e vita sed exire; et ante omnia ille quoque vitetur affectus qui multos occupavit, libido moriendi. Est enim, mi Lucili, ut ad alia, sic etiam ad moriendum inconsulta animi inclinatio, quae saepe generosos atque acerrimae indolis viros corripit, saepe ignavos iacentesque: illi contemnunt vitam, hi gravantur. [26] Quosdam subit eadem faciendi videndique satietas et vitae non odium sed fastidium, in quod prolabimur ipsa impellente philosophia, dum dicimus 'quousque eadem? nempe ex pergiscar dormiam, <edam> esuriam, algebo aestuabo. Nullius rei finis est, sed in orbem nexa sunt omnia, fugiunt ac sequuntur; diem nox premit, dies noctem, aestas in autumnum desinit, autumnus hiemps instat, quae vere compescitur; omnia sic transeunt ut revertantur. Nihil novi facio, nihil novi video: fit aliquando et huius rei nausea.' Multi sunt qui non acerbum iudicent vivere sed supervacuum. Vale.

Lezione 8

XLVII. SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

[1] Libenter ex iis qui a te veniunt cognovi familiariter te cum servis tuis vivere: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. 'Servi sunt.' Immo homines. 'Servi sunt.' Immo contubernales. 'Servi sunt.' Immo humiles amici. 'Servi sunt.' Immo conservi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunae. [2] Itaque rideo istos qui turpe existimant cum servo suo cenare: quare, nisi quia superbissima consuetudo cenanti domino stantium servorum turbam circumdedit? Est ille plus quam capit, et ingenti aviditate onerat distentum ventrem ac desuetum iam ventris officio, ut maiore opera omnia egerat quam ingessit. [3] At infelicibus servis movere labra ne in hoc quidem ut loquantur, licet; virga murmur omne compescitur, et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternumenta, singultus; magno malo ulla voce interpellatum silentium luitur; nocte tota ieiuni mutique perstant. [4] Sic fit ut isti de domino loquantur quibus coram domino loqui non licet. At illi quibus non tantum coram dominis sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere cervicem, periculum imminens in caput suum avertere; in conviviis loquebantur, sed in tormentis tacebant. [5] Deinde eiusdem arrogantiae proverbium iactatur, totidem hostes esse quot servos: non habemus illos hostes sed facimus. Alia interim crudelia, inhumana praetereo, quod ne tamquam hominibus quidem sed tamquam iumentis abutimur. [quod] Cum ad cenandum discubuimus, alius sputa deterget, alius reliquias temulentorum <toro> subditus colligit. [6] Alius pretiosas aves scindit; per pectus et clunes certis ductibus circumferens eruditam manum frustra excutit, infelix, qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter secet, nisi quod miserior est qui hoc voluptatis causa docet quam qui necessitatis discit. [7] Alius vini minister in muliebrem modum ornatus cum aetate luctatur: non potest effugere pueritiam, retrahitur, iamque militari habitu glaber retritis pilis aut penitus evulsis tota nocte pervigilat, quam inter ebrietatem domini ac libidinem dividit et in cubiculo vir, in convivio puer est. [8] Alius, cui convivarum censura permissa est, perstat infelix et exspectat quos adulatio et intemperantia aut gulae aut linguae revocet in crastinum. Adice obsonatores quibus dominici palati notitia subtilis est, qui sciunt cuius illum rei sapor excitet, cuius delectet aspectus, cuius novitate nauseabundus erigi possit, quid iam ipsa satietate fastidiat, quid illo die esuriat. Cum his cenare non sustinet et maiestatis suae deminutionem putat ad eandem mensam cum servo suo accedere. Di melius! quot ex istis dominos habet! [9] Stare ante limen Callisti domi num suum vidi et eum qui illi impegerat titulum, qui inter reicula mancipia produxerat, aliis intransibus excludi. Rettulit illi gratiam servus ille in primam decuriam coniectus, in qua vocem praeco experitur: et ipse illum invicem apologavit, et ipse non iudicavit domo sua dignum. Dominus Callistum vendidit: sed domino quam multa Callistus!

[10] Vis tu cogitare istum quem servum tuum vocas ex isdem seminibus ortum eodem frui caelo, aequae spirare, aequae vivere, aequae mori! tam tu illum videre ingenuum potes quam ille te servum. Variana clade multos splendidissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casae fecit. Contemne nunc eius fortunae hominem in quam transire dum contemnis potes.

[11] Nolo in ingentem me locum immittere et de usu servorum disputare, in quos superbissimi, crudelissimi, contumeliosissimi sumus. Haec tamen praecepti mei summa est: sic cum inferiore vivas quemadmodum tecum superiorem velis vivere. Quotiens in mentem venerit quantum tibi in servum <tuum> liceat, veniat in mentem tantundem in te domino tuo licere. [12] 'At ego' inquis 'nullum habeo dominum.' Bona aetas est: forsitan habebis. Nescis qua aetate Hecuba servire coeperit, qua Croesus, qua Darei mater, qua Platon, qua Diogenes? [13] Vive cum servo clementer, comiter quoque, et in sermonem illum admitte et in consilium et in convictum.

Hoc loco acclamabit mihi tota manus delicatorum 'nihil hac re humilium, nihil turpius'. Hos ego eosdem deprehendam alienorum servorum osculantes manum. [14] Ne illud quidem videtis, quam omnem invidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam servis detraxerint? Dominum patrem familiae appellaverunt, servos - quod etiam in mimis adhuc durat - familiares; instituerunt

diem festum, non quo solo cum servis domini vescerentur, sed quo utique; honores illis in domo gerere, ius dicere permiserunt et domum pusillam rem publicam esse iudicaverunt. [15] 'Quid ergo? omnes servos admovebo mensae meae?' Non magis quam omnes liberos. Erras si existimas me quosdam quasi sordidioris operae reiecturum, ut puta illum mulionem et illum bubulcum. Non ministeriis illos aestimabo sed moribus: sibi quisque dat mores, ministeria casus assignat. Quidam cenent tecum quia digni sunt, quidam ut sint; si quid enim in illis ex sordida conversatione servile est, honestiorum convictus excutiet. [16] Non est, mi Lucili, quod amicum tantum in foro et in curia quaeras: si diligenter attenderis, et domi invenies. Saepe bona materia cessat sine artifice: tempta et experire. Quemadmodum stultus est qui equum empturus non ipsum inspicit sed stratum eius ac frenos, sic stultissimus est qui hominem aut ex veste aut ex condicione, quae vestis modo nobis circumdata est, aestimat. [17] 'Servus est.' Sed fortasse liber animo. 'Servus est.' Hoc illi nocebit? Ostende quis non sit: alius libidini servit, alius avaritiae, alius ambitioni, <omnes spei>, omnes timori. Dabo consularem aniculae servientem, dabo ancillulae divitem, ostendam nobilissimos iuvenes mancipia pantomimorum: nulla servitus turpior est quam voluntaria. Quare non est quod fastidiosi isti te deterreant quominus servis tuis hilarem te praestes et non superbe superiorem: colant potius te quam timeant.

[18] Dicet aliquis nunc me vocare ad pilleum servos et dominos de fastigio suo deicere, quod dixi, 'colant potius dominum quam timeant'. 'Ita' inquit 'prorsus? colant tamquam clientes, tamquam salutatores?' Hoc qui dixerit obliviscetur id dominis parum non esse quod deo sat est. Qui colitur, et amatur: non potest amor cum timore misceri. [19] Rectissime ergo facere te iudico quod timeri a servis tuis non vis, quod verborum castigatione uteris: verberibus muta admonentur. Non quidquid nos offendit et laedit; sed ad rabiem cogunt pervenire deliciae, ut quidquid non ex voluntate respondit iram evocet. [20] Regum nobis induimus animos; nam illi quoque obliti et suarum virium et imbecillitatis alienae sic excandescunt, sic saeviunt, quasi iniuriam acceperint, a cuius rei periculo illos fortunae suae magnitudo tutissimos praestat. Nec hoc ignorant, sed occasionem nocendi captant querendo; acceperunt iniuriam ut facerent.

[21] Diutius te morari nolo; non est enim tibi exhortatione opus. Hoc habent inter cetera boni mores: placent sibi, permanent. Levis est malitia, saepe mutatur, non in melius sed in aliud. Vale.

Lezioni 9-10.

Lucan. 1,1-182

Bella per Emathios plus quam civilia campos
iusque datum sceleri canimus, populumque potentem
in sua victrici conversum viscera dextra
cognatasque acies, et rupto foedere regni
certatum totis concussi viribus orbis 5
in commune nefas, infestisque obvia signis
signa, pares aquilas et pila minantia pilis.
Quis furor, o cives, quae tanta licentia ferri?
gentibus invisus Latium praebere cruorem
cumque superba foret Babylon spolianda tropaeis 10
Ausoniis umbraque erraret Crassus inulta
bella geri placuit nullos habitura triumphos?
Heu, quantum terrae potuit pelagique parari
hoc quem civiles hauserunt sanguine dextrae,
unde venit Titan et nox ubi sidera condit 15
quaque dies medius flagrantibus aestuat horis
et qua bruma rigens ac nescia vere remitti
astringit Scythico glaciale frigore pontum!
Sub iuga iam Seres, iam barbarus isset Araxes
et gens siqua iacet nascenti conscia Nilo. 20
Tum, si tantus amor belli tibi, Roma, nefandi,
totum sub Latias leges cum miseris orbem,
in te verte manus: nondum tibi defuit hostis.
At nunc semirutis pendent quod moenia tectis
urbibus Italiae lapsisque ingentia muris 25
saxa iacent nulloque domus custode tenentur
rarus et antiquis habitator in urbibus errat,
horrida quod dumis multosque inarata per annos
Hesperia est desuntque manus poscentibus arvis,
non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor 30
Poenus erit: nulli penitus descendere ferro
contigit; alta sedent civilis volnera dextrae.
Quod si non aliam venturo fata Neroni
invenere viam magnoque aeterna parantur
regna deis caelumque suo servire Tonanti 35
non nisi saevorum potuit post bella gigantum,
iam nihil, o superi, querimur; scelera ipsa nefasque
hac mercede placent. Diros Pharsalia campos
inpleat et Poeni saturentur sanguine manes,
ultima funesta concurrant proelia Munda, 40
his, Caesar, Perusina fames Mutinaeque labores
accedant fatis et quas premit aspera classes
Leucas et ardenti servilia bella sub Aetna,
multum Roma tamen debet civilibus armis
quod tibi res acta est. Te, cum statione peracta 45
astra petes serus, praelati regia caeli

excipiet gaudente polo: seu scepra tenere
 seu te flammigeros Phoebi conscendere currus
 telluremque nihil mutato sole timentem
 igne vago lustrare iuuet, tibi numine ab omni 50
 cedetur, iurisque tui natura relinquet
 quis deus esse uelis, ubi regnum ponere mundi.
 Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe
 nec polus aversi calidus qua vergitur Austri,
 unde tuam videas obliquo sidere Romam. 55
 Aetheris immensi partem si presseris unam,
 sentiet axis onus. Librati pondera caeli
 orbe tene medio; pars aetheris illa sereni
 tota vacet nullaeque obstent a Caesare nubes.
 Tum genus humanum positis sibi consulat armis 60
 inque vicem gens omnis amet; pax missa per orbem
 ferrea belligeri conpescat limina Iani.
 sed mihi iam numen; nec, si te pectore vates
 accipio, Cirrhaea velim secreta moventem
 sollicitare deum Bacchumque avertere Nysa: 65
 tu satis ad vires Romana in carmina dandas.
 Fert animus causas tantarum expromere rerum,
 inmensumque aperitur opus, quid in arma furem
 inpulerit populum, quid pacem excusserit orbi.
 Invida fatorum series summisque negatum 70
 stare diu nimioque graves sub pondere lapsus
 nec se Roma ferens. Sic, cum conpage soluta
 saecula tot mundi suprema coegerit hora
 antiquum repetens iterum chaos, [omnia mixtis
 sidera sideribus concurrent,] ignea pontum 75
 astra petent, tellus extendere litora nolet
 excutietque fretum, fratri contraria Phoebe
 ibit et obliquum bigas agitare per orbem
 indignata diem poscet sibi, totaque discors
 machina divolsi turbabit foedera mundi. 80
 in se magna ruunt: laetis hunc numina rebus
 crescendi posuere modum. Nec gentibus ullis
 commodat in populum terrae pelagique potentem
 invidiam Fortuna suam. Tu causa malorum
 facta tribus dominis communis, Roma, nec umquam 85
 in turbam missi feralia foedera regni.
 O male concordēs nimiaque cupidine caeci,
 quid miscere iuvat vires orbemque tenere
 in medio? Dum terra fretum terramque levabit
 aer et longi volvent Titana labores 90
 noxque diem caelo totidem per signa sequetur,
 nulla fides regni sociis, omnisque potestas
 inpatiens consortis erit. Nec gentibus ullis
 credite nec longe fatorum exempla petantur:
 fraterno primi maduerunt sanguine muri. 95
 Nec pretium tanti tellus pontusque furoris
 tunc erat: exiguum dominos commisit asyllum.
 Temporis angusti mansit concordia discors

paxque fuit non sponte ducum; nam sola futuri
 Crassus erat belli medius mora. Qualiter undas 100
 qui secat et geminum gracilis mare separat Isthmos
 nec patitur conferre fretum, si terra recedat,
 Ionium Aegaeo frangat mare, sic, ubi saeva
 arma ducum dirimens miserando funere Crassus
 Assyrias Latio maculavit sanguine Carrhas, 105
 Parthica Romanos solverunt damna furores.
 Plus illa vobis acie, quam creditis, actum est,
 Arsacidæ: bellum victis civile dedistis.
 Diuiditur ferro regnum, populique potentis,
 quae mare, quae terras, quae totum possidet orbem, 110
 non cepit fortuna duos. Nam pignora iuncti
 sanguinis et diro ferales omine taedas
 abstulit ad manes Parcarum Iulia saeva
 intercepta manu. Quod si tibi fata dedissent
 maiores in luce moras, tu sola furentem 115
 inde virum poterat atque hinc retinere parentem
 armatasque manus excusso iungere ferro,
 ut generos soceris mediae iunxere Sabinae.
 Morte tua discussa fides bellumque movere
 permissum ducibus. Stimulos dedit aemula virtus. 120
 Tu, nova ne veteres obscurent acta triumphos
 et victis cedat piratica laurea Gallis,
 Magne, times; te iam series ususque laborum
 erigit inpatiensque loci fortuna secundi;
 nec quemquam iam ferre potest Caesarve priorem 125
 Pompeiusue parem. Quis iustius induit arma
 scire nefas: magno se iudice quisque tuetur;
 victrix causa deis placuit sed victa Catoni.
 Nec coiere pares. Alter vergentibus annis
 in senium longoque togae tranquillior usu 130
 dedidicit iam pace ducem, famaëque petitor
 multa dare in volgus, totus popularibus auris
 inpelli plausuque sui gaudere theatri,
 nec reparare novas vires, multumque priori
 credere fortunæ. Stat magni nominis umbra, 135
 qualis frugifero quercus sublimis in agro
 exuvias veteris populi sacrataque gestans
 dona ducum nec iam validis radicibus haerens
 pondere fixa suo est, nudosque per aera ramos
 effundens trunco, non frondibus, efficit umbram, 140
 et quamvis primo nutet casura sub Euro,
 tot circum silvae firmo se robore tollant,
 sola tamen colitur. Sed non in Caesare tantum
 nomen erat nec fama ducis, sed nescia virtus
 stare loco, solusque pudor non vincere bello. 145
 Acer et indomitus, quo spes quoque ira vocasset,
 ferre manum et numquam temerando parcere ferro,
 successus urguere suos, instare favori
 numinis, impellens quidquid sibi summa petenti
 obstaret gaudensque viam fecisse ruina, 150

qualiter expressum ventis per nubila fulmen
 aetheris impulsu sonitu mundique fragore
 emicuit rupitque diem populosque paventes
 terruit obliqua praestringens lumina flamma:
 in sua templa furit, nullaque exire vetante 155
 materia magnamque cadens magnamque revertens
 dat stragem late sparsosque recolligit ignes.
 hae ducibus causae; suberant sed publica belli
 semina, quae populos semper mersere potentis.
 namque, ut opes nimias mundo fortuna subacta 160
 intulit et rebus mores cessere secundis
 praedaeque et hostiles luxum suasere rapinae,
 non auro tectisque modus, mensasque priores
 aspernata fames; cultus gestare decoros
 vix nuribus rapuere mares; fecunda uirorum 165
 paupertas fugitur totoque accersitur orbe
 quo gens quaeque perit; tum longos iungere fines
 agrorum, et quondam duro sulcata Camilli
 uomere et antiquos Curiorum passa ligones
 longa sub ignotis extendere rura colonis. 170
 non erat is populus quem pax tranquilla iuaret,
 quem sua libertas inmotis pasceret armis.
 inde irae faciles et, quod suasisset egestas,
 vile nefas, magnumque decus ferroque petendum
 plus patria potuisse sua, mensuraque iuris 175
 vis erat: hinc leges et plebis scita coactae
 et cum consulibus turbantes iura tribuni;
 hinc rapti fasces pretio sectorque favoris
 ipse sui populus letalisque ambitus urbi
 annua venali referens certamina Campo; 180
 hinc usura vorax auidumque in tempora fenus
 et concussa fides et multis utile bellum.

Lezione 11.

Tacito, *Annales* 16-19 (passim)

De C. Petronio pauca supra repetenda sunt. nam illi dies per somnum, nox officiis et oblectamentis vitae transigebatur; utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat [...] proconsul tamen Bithyniae et mox consul vigentem se ac parem negotiis ostendit. Dein revolutus ad vitia seu vitiorum imitatione inter paucos familiarium Neroni adsumptus est, elegantiae arbiter, dum nihil amoenum et molle adfluentia putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset. [...] Neque tamen praeceps vitam expulit, sed incisas venas, ut libitum, obligatas aperire rursus et adloqui amicos, non per seria aut quibus gloriam constantiae peteret. Audiebatque referentis nihil de immortalitate animae et sapientium placitis, sed levia carmina et facilis versus.

Petronio, *Satiricon* 111,12

'Quid proderit, inquit, hoc tibi, si soluta inedia fueris, si te vivam sepelieris, si antequam fata poscant indemnatum spiritum effuderis?

Id cinerem aut manes credis sentire sepultos?

Petronio, *Satiricon* 80,2-4

Inter hanc miserorum dementiam infelicissimus puer tangebatur utriusque genua cum fletu, petebatque suppliciter ne Thebanum par humilis taberna spectaret, neve sanguine mutuo pollueremus familiaritatis clarissimae sacra. "Quod si utique, proclamabat, facinore opus est, nudo ecce iugulum, convertite huc manus, imprimite mucrones. Ego mori debeo, qui amicitiae sacramentum delevi.

Petronio, *Satiricon* 41,9 – 42

Ab hoc ferculo Trimalchio ad lasanum surrexit. Nos libertatem sine tyranno nacti coepimus invitare convivarum sermones. Dama itaque primus cum pataracina poposcisset: "Dies, inquit, nihil est. Dum versas te, nox fit. Itaque nihil est melius quam de cubiculo recta in triclinium ire. Et mundum frigus habuimus. Vix me balneus calfecit. Tamen calda potio vestiarius est. Staminatas duxi, et plane matus sum. Vinus mihi in cerebrum abiit." Excepit Seleucus fabulae partem et: "Ego, inquit, non cotidie labor; baliscus enim fullo est: aqua dentes habet, et cor nostrum cotidie liquescit. Sed cum mulsi pultarium obduxi, frigori laecasin dico. Nec sane lavare potui; fui enim hodie in funus. Homo bellus, tam bonus Chrysanthus animam ebulliit. Modo, modo me appellavit. Videor mihi cum illo loqui. Heu, eheu! Vtres inflati ambulamus. Minoris quam muscae sumus. <Illae> tamen aliquam virtutem habent; nos non pluris sumus quam bullae. Et quid si non abstinax fuisset! Quinque dies aquam in os suum non coniecit, non micam panis. Tamen abiit ad plures. Medici illum perdiderunt, immo magis malus fatus; medicus enim nihil aliud est quam animi consolatio. Tamen bene elatus est, vitali lecto, stragulis bonis. Planctus est optime – manu misit aliquot – etiam si maligne illum ploravit uxor. Quid si non illam optime accepisset? Sed mulier quae mulier milvinum genus. Neminem nihil boni facere oportet; aequae est enim ac si in puteum conicias. Sed antiquus amor cancer est."

Lezione 12.

Quintiliano, *Institutio oratoria*, prooemium 9-12

Oratorem autem instituimus illum perfectum, qui esse nisi vir bonus non potest, ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultatem sed omnis animi virtutes exigimus. Neque enim hoc concesserim, rationem rectae honestaeque vitae, ut quidam putaverunt, ad philosophos relegendam, cum vir ille vere civilis et publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare iudiciis possit, non alius sit profecto quam orator. Quare, tametsi me fateor usurum quibusdam quae philosophorum libris continentur, tamen ea iure vereque contenderim esse operis nostri proprieque ad artem oratoriam pertinere. An, si frequentissime de iustitia fortitudine temperantia ceterisque similibus disserendum est, adeo ut vix ulla possit causa reperiri in quam non aliqua ex his incidat quaestio, eaque omnia inventionem atque elocutionem sunt explicanda, dubitabitur, ubicumque vis ingenii et copia dicendi postulatur, ibi partes oratoris esse praecipuas?

Lezione 13.

Giovenale, *Satira* 1, 1-6

Semper ego auditor tantum? numquamne reponam
vexatus totiens rauci Theseide Cordi?
inpune ergo mihi recitaverit ille togatas,
hic elegos? inpune diem consumpserit ingens
Telephus aut summi plena iam margine libri 5
scriptus et in tergo necdum finitus Orestes?

Giovenale, *Satira* 1, 79-89

Si natura negat, facit indignatio uersum
qualemcumque potest, quales ego uel Cluuienus. 80
ex quo Deucalion nimbis tollentibus aequor
nauigio montem ascendit sortesque poposcit
paulatimque anima caluerunt mollia saxa
et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas,
quidquid agunt homines, uotum, timor, ira, uoluptas, 85
gaudia, discursus, nostri farrago libelli est.
et quando uberior uitiorum copia? Quando
maior auaritiae patuit sinus? alea quando
hos animos?

Giovenale, *Satira* 6, 231-241

Desperanda tibi salva concordia socru.
illa docet spoliis nudi gaudere mariti,
illa docet missis a corruptore tabellis
nil rude nec simplex rescribere, decipit illa
custodes aut aere domat. Tum corpore sano 235
advocat Archigenen onerosaque pallia iactat.
Abditus interea latet et secretus adulter
inpatiensque morae silet et praeputia ducit.
Scilicet expectas ut tradat mater honestos
atque alios mores quam quos habet? utile porro 240
filiolam turpi vetulae producere turpem.

vv. 252-258

quem praestare potest mulier galeata pudorem,
quae fugit a sexu? vires amat. haec tamen ipsa
vir nollet fieri; nam quantula nostra voluptas!
Quale decus, rerum si coniugis auctio fiat,
balteus et manicae et cristae crurisque sinistri
dimidium tegimen! vel si diversa movebit
proelia, tu felix ocreas vendente puella.

255

vv. 434-442

Illa tamen gravior, quae cum discumbere coepit
laudat Vergilium, periturae ignoscit Elissae,
committit vates et comparat, inde Maronem
atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis
turba tacet, nec causidicus nec praeco loquetur,
altera nec mulier. Verborum tanta cadit vis,
tot pariter pelves ac tintinnabula dicas
pulsari.

435

440

Lezioni 14-15

Mart. 1,1-20

Prologus

1. Spero me secutum in libellis meis tale temperamentum ut de illis queri non possit quisquis de se bene senserit, cum salva infirmarum quoque personarum reverentia ludant; quae adeo antiquis auctoribus defuit ut nominibus non tantum veris abusi sint, sed et magnis. 2. Mihi fama vilis constet et probetur in me novissimum ingenium. 3. Absit a iocorum nostrorum simplicitate malignus interpretis nec epigrammata mea scribat: inprobe facit qui in alieno libro ingeniosus est. 4. Lascivam verborum veritatem, id est epigrammaton linguam, excusarem, si meum esset exemplum: sic scribit Catullus, sic Marsus, sic Pedo, sic Gaetulicus, sic quicumque perlegitur. 5. Si quis tamen tam ambitiose tristis est ut apud illum in nulla pagina latine loqui fas sit, potest epistola vel potius titulo contentus esse. 6. Epigrammata illis scribuntur qui solent spectare Florales. 7. Non intret Cato theatrum meum, aut si intraverit, spectet. 8. Videor mihi meo iure facturus si epistolam versibus clusero:

Nosses iocosae dulce cum sacrum Florae
festosque lusus et licentiam volgi,
cur in theatrum, Cato severe, venisti?
an ideo tantum veneras, ut exires?

1

Hic est quem legis ille, quem requiris,
toto notus in orbe Martialis
argutis epigrammaton libellis:
cui, lector studiose, quod dedisti
viventi decus atque sentienti, 5
rari post cineres habent poetae.

2

Qui tecum cupis esse meos ubicumque libellos
et comites longae quaeris habere viae,
hos eme, quos artat brevibus membrana tabellis:
scrinia da magnis, me manus una capit.
Ne tamen ignores ubi sim venalis et erres
urbe vagus tota, me duce certus eris:
libertum docti Lucensis quaere Secundum
limina post Pacis Palladiumque forum.

3

Argiletanas mavis habitare tabernas,
cum tibi, parve liber, scrinia nostra vacant.
Nescis, heu, nescis dominae fastidia Romae:
crede mihi, nimium Martia turba sapit.
Maiores nusquam rhonchi: iuvenesque senesque 5
et pueri nasum rhinocerotis habent.
Audieris cum grande sophos, dum basia iactas,
ibis ab excusso missus in astra sago.
Sed tu ne totiens domini patiare lituras
neve notet lusus tristis harundo tuos, 10
aetherias, lascive, cupis volitare per auras:
i, fuge; sed poteras tutior esse domi.

4

Contigeris nostros, Caesar, si forte libellos,
terrarum dominum pone supercilium.
Consuevere iocos uestri quoque ferre triumphi,
materiam dictis nec pudet esse ducem.
Qua Thymelen spectas derisoremque Latinum, 5
illa fronte precor carmina nostra legas.
Innocuos censura potest permittere lusus:
lasciva est nobis pagina, vita proba.

5

Do tibi naumachiam, tu das epigrammata nobis:
vis, puto, cum libro, Marce, natate tuo.

6

Aetherias aquila puerum portante per auras
inlaesum timidis unguibus haesit onus:
nunc sua Caesareos exorat praeda leones
tutus et ingenti ludit in ore lepus.
Quae maiora putas miracula? summus utrisque 5
auctor adest: haec sunt Caesaris, illa Iovis.

7

Stellae delictum mei columba,
Verona licet audiente dicam,
vicit, Maxime, passerem Catulli.
Tanto Stella meus tuo Catullo
quanto passere maior est columba. 5

8

Quod magni Thraseae consummatique Catonis
dogmata sic sequeris salvos ut esse velis,
pectore nec nudo strictos incurris in ensis,
quod fecisse velim te, Deciane, facis.
Nolo virum facili redemit qui sanguine famam, 5
hunc volo, laudari qui sine morte potest.

9

Bellus homo et magnus vis idem, Cotta, videri:
sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

10

Petit Gemellus nuptias Maronillae
et cupit et instat et precatur et donat.
Adeone pulchra est? Immo foedius nil est.
Quid ergo in illa petitur et placet? Tussit.

11

Cum data sint equiti bis quina nomismata, quare
bis decies solus, Sextiliane, bibis?
Iam defecisset portantis calda ministros,

si non potares, Sextiliane, merum.

12

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces
canaque sulphureis Albula fumat aquis,
rura nemusque sacrum dilectaque iugera Musis
signat vicina quartus ab urbe lapis.
Hic rudis aestivas praestabat porticus umbras, 5
heu quam paene novum porticus ausa nefas!
nam subito conlapsa ruit, cum mole sub illa
gestatus biiugis Regulus esset equis.
Nimirum timuit nostras Fortuna querelas, 10
quae par tam magnae non erat invidiae.
Nunc et damna iuvant; sunt ipsa pericula tanti:
stantia non poterant tecta probare deos.

13

Casta suo gladium cum traderet Arria Paeto,
quem de visceribus strinxerat ipsa suis,
'Si qua fides, vulnus quod feci non dolet,' inquit,
'sed tu quod facies, hoc mihi, Paete, dolet.'

14

Delicias, Caesar, lususque iocosque leonum
vidimus — hoc etiam praestat harena tibi —
cum pressus blando totiens a dente rediret
et per aperta vagus curreret ora lepus.
Vnde potest avidus captae leo parcere praedae? 5
Sed tamen esse tuus dicitur: ergo potest.

15

O mihi post nullos, Iuli, memorande sodales,
si quid longa fides canaque iura valent,
bis iam paene tibi consul tricensimus instat,
et numerat paucos vix tua vita dies.
Non bene distuleris videas quae posse negari, 5
et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
Expectant curaeque catenatique labores,
gaudia non remanent, sed fugitiva uolant.
Haec utraque manu complexuque adsere toto:
saepe fluunt imo sic quoque lapsa sinu. 10
Non est, crede mihi, sapientis dicere 'Vivam':
sera nimis vita est crastina: vive hodie.

16

Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura
quae legis hic: aliter non fit, Avite, liber.

17

Cogit me Titus actitare causas
et dicit mihi saepe 'Magna res est.'
Res magna est, Tite, quam facit colonus.

18

Quid te, Tucca, iuvat vetulo miscere Falerno
in Vaticanis condita musta cadis?
Quid tantum fecere boni tibi pessima vina?
aut quid fecerunt optima vina mali?
De nobis facile est, scelus est iugulare Falernum 5
et dare Campano toxica saeva mero.
Convivae meruere tui fortasse perire:
amphora non meruit tam pretiosa mori.

19

Si memini, fuerant tibi quattuor, Aelia, dentes:
expulit una duos tussis et una duos.
Iam segura potes totis tussire diebus:
nil istic quod agat tertia tussis habet.

20

Dic mihi, quis furor est? Turba spectante vocata
solus boletos, Caeciliane, voras.
Quid dignum tanto tibi ventre gulaque precabor?
Boletum qualem Claudius edit, edas.

Lezione 16

Agricola, 3

Nunc demum redit animus; et quamquam primo statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabilis miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque cotidie felicitatem temporum Nerva Traianus, nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur adsumpserit, natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; et ut corpora nostra lente augescunt, cito extinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris: subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisae primo desidia postremo amatur.

Historiae, 1,1

Initium mihi operis Servius Galba iterum Titus Vinius consules erunt. nam post conditam urbem octingentos et viginti prioris aevi annos multi auctores rettulerunt, dum res populi Romani memorabantur pari eloquentia ac libertate: postquam bellatum apud Actium atque omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere; simul veritas pluribus modis infracta, primum inscitia rei publicae ut alienae, mox libidine adsentandi aut rursus odio adversus dominantis: ita neutris cura posteritatis inter infensos vel obnoxios. sed ambitionem scriptoris facile averseris, obrectatio et livor pronis auribus accipiuntur; quippe adulationi foedum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest. mihi Galba Otho Vitellius nec beneficio nec iniuria cogniti. dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim: sed incorruptam fidem professis neque amore quisquam et sine odio dicendus est.

Lezione 17-20

TACITO

DE ORIGINE AC SITU GERMANORUM

1.

Germania omnis a Gallis Raetisque et Pannoniis Rheno et Danuvio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur; cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus, Raeticarum Alpium inaccessio ac praecipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus septentrionali Oceano miscetur. Danuvius, molli et clementer edito montis Abnobae iugo effusus, pluris populos adit donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat; septimum os paludibus hauritur.

2.

Ipsos Germanos indigenas crediderim minimeque aliarum gentium adventibus et hospitibus mixtos, quia nec terra olim sed classibus advehebantur qui mutare sedes quaerebant, et inmensus ultra utque sic dixerim adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro, praeter periculum horridi et ignoti maris, Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, asperam caelo, tristem cultu aspectuque nisi si patria sit? Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae et annalium genus est, Tuistonem deum terra editum. Ei filium Mannum, originem gentis conditoremque, Manno tris filios adsignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Herminones, ceteri Istaevones vocentur. Quidam, ut in licentia vetustatis, pluris deo ortos pluresque appellationes, Marsos Gambrivios Suebos Vandilios, adfirmant, eaque vera et antiqua nomina; ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint: ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox et a se ipsis invento nomine Germani vocarentur.

3.

Fuisse apud eos et Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in proelia canunt. Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem barditum vocant, accendunt animos futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur: terrent enim trepidantve prout sonuit acies, nec tam voces illae quam virtutis concentus videntur. Adfectatur praecipue asperitas soni et fractum murmur, obiectis ad os scutis quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. Ceterum et Ulixem quidam opinantur longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque; aram quin etiam Ulixi consecratam, adiecto Laertae patris nomine, eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam Graecis litteris inscriptos in confinio Germaniae Raetiaeque adhuc exstare. Quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.

4.

Ipsae eorum opinionibus accedo qui Germaniae populos nullis [aliis] aliarum nationum conubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem exstitisse arbitrantur. Unde habitus quoque corporum, tamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida. Laboris atque operum non eadem patientia, minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inedia caelo solove adsueverunt.

5.

Terra, etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda, humidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit; satis ferax, frugiferarum

arborum inpatiens, pecorum fecunda, sed plerumque inprocera. Ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis; numero gaudent, eaeque solae et gratissimae opes sunt. Argentum et aurum propitiine an irati di negaverint dubito. Nec tamen adfirmaverim nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere: quis enim scrutatus est? Possessione et usu haud perinde adficiuntur; est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate quam quae humo finguntur. Quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt; interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque; argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla adfectione animi sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus.

6.

Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur; hastas vel ipsorum vocabulo frameas gerunt angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili ut eodem telo, prout ratio poscit, vel comminus vel eminus pugnent. Et eques quidem scuto frameaque contentus est, pedites et missilia spargunt, pluraque singuli, atque in immensum vibrant, nudi aut sagulo leves. Nulla cultus iactatio; scuta tantum lectissimis coloribus distingunt. Paucis loricae, vix uni alterive cassis aut galea. Equi non forma, non velocitate conspicui; sed nec variare gyros in morem nostrum docentur: in rectum aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe ut nemo posterior sit. In universum aestimati plus penes peditem roboris; eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuventute delectos ante aciem locant. Definitur et numerus: centeni ex singulis pagis sunt, idque ipsum inter suos vocantur, et quod primo numerus fuit, iam nomen et honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis proeliis referunt. Scutum reliquisse praecipuum flagitium, nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas, multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.

7.

Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita ac libera potestas, et duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. Ceterum neque animadvertere neque vincere, ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt. Effigiesque et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt; quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates, et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. Hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores; ad matres, ad coniuges vulnera ferunt: nec illae numerare et exigere plagas pavent, cibosque et hortamina pugnantibus gestant.

8.

Memoriae proditur quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum et monstrata comminus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent, adeo ut efficacius obligentur animi civitatum quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant, nec aut consilia earum aspernantur aut responsa neglegunt. Vidimus sub divo Vespasiano Veledam diu apud plerosque numinis loco habitam; sed et olim Auriniam et compluris alias venerati sunt, non adulatione nec tamquam facerent deas.

9.

Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placant. Pars Sueborum et Isidi sacrificat; unde causa et origo peregrino sacro parum comperi nisi quod signum ipsum in modum liburnae figuratum docet

advectam religionem. Ceterum nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem adsimulare ex magnitudine caelestium arbitrantur; lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud quod sola reverentia vident.

10.

Auspicia sortesque ut qui maxime observant. Sortium consuetudo simplex. Virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputant eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. Mox, si publice consultetur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse pater familiae, precatus deos caelumque suspiciens ter singulos tollit, sublato secundum impressam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspicio adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare; proprium gentis equorum quoque praesagia ac monitus experiri; publice aluntur isdem nemoribus ac lucis candidi et nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio maior fides, non solum apud plebem sed apud proceres, apud sacerdotes. Se enim ministros deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspicio, qua gravium bellorum eventus explorant. Eius gentis cum qua bellum est captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt; victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur.

11.

De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium est apud principes praetractentur. Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut incohatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auspiciatissimum initium credunt. Nec dierum numerum ut nos sed noctium computant; sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absumentur. Ut turbae placuit, considunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur. Mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur, sin placuit, frameas concutiunt: honoratissimum adsensus genus est armis laudare.

12.

Licet apud concilium accusare quoque et discrimen capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto: proditores et transfugas arboribus suspendunt, ignavos et inbelles et corpore infames caeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed et levioribus delictis pro modo poena: equorum pecorumque numero convicti multantur. Pars multae regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis eius exsolvitur. Eliguntur in isdem conciliis et principes qui iura per pagos vicosque reddunt; centeni singulis ex plebe comites consilium simul et auctoritas adsunt.

13.

Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinqui scuto frameaque iuvenem ornant; haec apud illos toga, hic primus iuventae honos; ante hoc domus pars videntur, mox rei publicae. Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adolescentulis adsignant; ceterum robustioribus ac iam pridem probatis adgregantur, nec rubor inter comites aspici. Gradus quin etiam ipse comitatus habet, iudicio eius quem sectantur; magnaque et comitum aemulatio quibus primus apud principem suum locus, et principum cui plurimi et acerrimi comites. Haec dignitas, hae vires magno semper electorum iuvenum globo circumdari, in pace decus, in bello praesidium. Nec solum in sua gente cuique sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat; expetuntur enim legationibus et muneribus ornantur et ipsa plerumque fama bella profligant.

14.

Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatu virtutem principis non adaequare. Iam vero infame in omnem vitam ac probrosum superstitem principi suo ex acie recessisse; illum defendere tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius adsignare praecipuum sacramentum est: principes pro victoria pugnant, comites pro principe. Si civitas in qua orti sunt longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adulescentium petunt ultro eas nationes quae tum bellum aliquod gerunt, quia et ingrata genti quies et facilius inter ancipitia clarescunt magnumque comitatum non nisi vi belloque tueare. Exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam: nam epulae et quamquam incompti largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. Materia munificentiae per bella et raptus, nec arare terram aut exspectare annum tam facile persuaseris quam vocare hostem et vulnera mereri; pigrum quin immo et iners videtur sudore adquirere quod possis sanguine parare.

15.

Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque; fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus et penatium et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia, ipsi hebet, mira diversitate naturae cum idem homines sic ament inertiam et oderint quietem. Mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit. Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis sed et publice mittuntur, electi equi, magnifica arma, phalerae torquesque; iam et pecuniam accipere docuimus.

16.

Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant non iin nostrum morem conexas et cohaerentibus aedificiis; suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium sive incitiam aedificandi. Ne caementorum quidem apud illos aut tegularum usus; materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem. Quaedam loca diligentius inlinunt terra ita pura ac splendente ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent et subterraneos specus aperire eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemis et receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum eius modi loci molliunt, et si quando hostis advenit aperta populatur, abdita autem et defossa aut ignorantur aut eo ipso fallunt quod quaerenda sunt.

17.

Tegumen omnibus sagum fibula aut, si desit, spina consertum; cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguntur non fluitante, sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente. Gerunt et ferarum pelles, proximi ripae negligenter, posteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus: eligunt feras et detracta velamina spargunt maculis pellibusque beluarum quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur eosque purpura variant, partemque vestitus superiorem in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos; sed et proxima pars pectoris patet.

18.

Quamquam severa illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris. Nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis qui non libidine sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito sed uxori maritus offert. Intersunt parentes et propinqui, ac munera probant, munera non ad delicias muliebres quaesita nec quibus nova nupta comatur, sed boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque. In haec munera uxor accipitur, atque in vicem ipsa armorum aliquid viro adfert; hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque

bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque; hoc iuncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. Sic vivendum, sic pereundum; accipere se quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant rursusque ad nepotes referantur.

19.

Ergo saepta pudicitia agunt, nullis spectaculorum inlecebris, nullis conviviorum iritationibus corruptae. Litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens et maritis permissa: abscisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus ac per omnem vicum verbere agit. Publicatae enim pudicitiae nulla venia: non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur. Melius quidem adhuc eae civitates in quibus tantum virgines nubunt et cum spe votoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum quo modo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum sed tamquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur, plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae leges.

20.

In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec corpora quae miramur excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dinoscas; inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. Sera iuvenum venus, eoque inexhausta pubertas. Nec virgines festinantur; eadem iuventa, similis proceritas; pares validaeque miscentur, ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis idem apud avunculum qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem artioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur et in accipiendis obsidibus magis exigunt, tamquam et animum firmiter et domum latius teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi, et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres patru avunculi. Quanto plus propinquorum, quanto maior adfinium numerus, tanto gratiosior senectus; nec ulla orbitatis pretia.

21.

Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est. Nec implacabiles durant; luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero recipitque satisfactionem universa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem. Convictibus et hospitibus non alia gens effusius indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro fortuna quisque apparatus epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat monstrator hospitii et comes; proximam domum non invitati adeunt. Nec interest: pari humanitate accipiuntur; notum ignotumque quantum ad ius hospitis nemo discernit. Abeunti, si quid poposcerit, concedere moris, et poscendi in vicem eadem facilitas. Gaudent muneribus, sed nec data inputant nec acceptis obligantur. [Victus inter hospites comis.]

22.

Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. Lauti cibum capiunt; separatae singulis sedes et sua cuique mensa. Tum ad negotia nec minus saepe ad convivia procedunt armati. Diem noctemque continuare potando nulli probrum. Crebrae, ut inter vinolentos, rixae raro conviciis, saepius caede et vulneribus transiguntur. Sed et de reconciliandis in vicem inimicis et iungendis adfinitatibus et adsciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis consulant, tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus aut ad magnas incalescat. Gens non astuta nec callida aperit adhuc secreta pectoris licentia loci; ergo detecta et nuda omnium mens. Postera die retractatur, et salva utriusque temporis ratio est: deliberant dum fingere nesciunt, constituunt dum errare non possunt.

23.

Potui umor ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus; proximi ripae et vinum mercantur. Cibi simplices: agrestia poma, recens fera aut lac concretum. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. Adversus sitim non eadem temperantia: si indulseris ebrietati suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis quam armis vincuntur.

24.

Genus spectaculorum unum atque in omni coetu idem: nudi iuvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu iaciunt. Exercitatio artem paravit, ars decorem, non in quaestum tamen aut mercedem: quamvis audacis lasciviae pretium est voluptas spectantium. Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate ut, cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo iactu de libertate ac de corpore contendunt. Victus voluntariam servitutem adit; quamvis iuvenior, quamvis robustior alligari se ac venire patitur. Ea est in re prava pervicacia; ipsi fidem vocant. Servos condicionis huius per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exsolvant.

25.

Ceteris servis non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur: suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis ut colono iniungit, et servus hactenus paret; cetera domus officia uxor ac liberi exsequuntur. Verberare servum ac vinculis et opere coercere rarum; occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod inpune est. Liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, numquam in civitate, exceptis dumtaxat iis gentibus quae regnantur. Ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt; apud ceteros inpares libertini libertatis argumentum sunt.

26.

Faenus agitare et in usuras extendere ignotum; ideoque magis servatur quam si vetitum esset. Agri pro numero cultorum ab universis † vices † occupantur: quos mox inter se secundum dignationem partiuntur (facilitatem partiendi camporum spatia praestant). Arva per annos mutant, et superest ager. Nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt ut pomaria conserant, ut prata separent, ut hortos rigent; sola terrae seges imperatur. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species; hiems et ver et aestas intellectum ac vocabula habent, autumnus perinde nomen ac bona ignorantur.

27.

Funerum nulla ambitio; id solum observatur ut corpora clarorum virorum certis lignis cremantur. Struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant; sua cuique arma, quorundam igni et equus adicitur. Sepulcrum caespes erigit: monumentorum arduum et operosum honorem ut gravem defunctis aspernantur. Lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. Feminis lugere honestum est, viris meminisse. Haec in commune de omni Germanorum origine ac moribus accepimus

Lezione 21.

Apuleio, *Metamorfosi*, 1,1

At ego tibi sermone isto Milesio varias fabulas conseram auresque tuas benivolas lepido susurro permulceam — modo si papyrum Aegyptiam argutia Nilotici calami inscriptam non spreveris inspicere — figuras fortunasque hominum in alias imagines conversas et in se rursus mutuo nexu relectas ut mireris. Exordior. "Quis ille?" Paucis accipe. Hymettos Attica et Isthmos Ephyrea et Taenaros Spartiatica, glebae felices aeternum libris felicioribus conditae, mea vetus prosapia est; ibi linguam Atthidem primis pueritiae stipendiis merui. Mox in urbe Latia advena studiorum Quiritium indigenam sermonem aerumnabili labore nullo magistro praeunte aggressus excolui. En ecce praefamur veniam, siquid exotici ac forensis sermonis rudis locutor offendero. Iam haec equidem ipsa vocis immutatio desultoriae scientiae stilo quem accessimus respondet. Fabulam Graecanicam incipimus. Lector intende: laetaberis.

Lezione 22.

Passio Perpetuae et Felicitatis, 5-6

Post paucos dies rumor cucurrit ut audiremur. Supervenit autem et de civitate pater meus, consumptus taedio, et ascendit ad me, ut me deiceret, dicens: Miserere, filia, canis meis; miserere patri, si dignus sum a te pater vocari; si his te manibus ad hunc florem aetatis provexi, si te praeposui omnibus fratribus tuis: ne me dederis in dedecus hominum. Aspice fratres tuos, aspice matrem tuam et materteram, aspice filium tuum qui post te vivere non poterit. Depone animos; ne universos nos extermines. Nemo enim nostrum libere loquetur, si tu aliquid fueris passa. Haec dicebat quasi pater pro sua pietate basians mihi manus et se ad pedes meos iactans et lacrimans me iam non filiam nominabat sed dominam. Et ego dolebam casum patris mei quod solus de passione mea gauisurus non esset de toto genere meo. Et confortavi eum dicens: Hoc fiet in illa catasta quod Deus voluerit. Scito enim nos non in nostra esse potestate constitutos, sed in Dei. Et recessit a me contristatus. Alio die cum pranderemus, Subito rapti sumus ut audiremur. et pervenimus ad forum. Rumor statim per vicinas fori partes cucurrit et factus est populus immensus. Ascendimus in catastam. Interrogati ceteri confessi sunt. Ventum est et ad me. Et apparuit pater ilico cum filio meo et extraxit me de gradu dicens: 'Supplica. Miserere infanti'. Et Hilarianus procurator, qui tunc loco proconsulis Minuci Timiniani defuncti ius gladii acceperat, 'Parce, inquit, canis patris tui, parce infantiae pueri. Fac sacrum pro salute imperatorum'. Et ego respondi: 'Non facio'. Hilarianus: 'Christiana es?' inquit. Et ego respondi: 'Christiana sum'. Et cum staret pater ad me deiciendam, iussus est ab Hilariano proici et uirga percussus est. Et doluit mihi casus patris mei quasi ego fuissem percussa; sic dolui pro senecta eius misera. Tunc nos universos pronuntiat et damnat ad bestias; et hilares descendimus ad carcerem. Tunc quia consueverat a me infans mammas accipere et mecum in carcere manere, statim mitto ad patrem Pomponium diaconum, postulans infantem. Sed pater dare noluit. 8. Et quomodo Deus voluit, neque ille amplius mammas desideravit neque mihi fervorem fecerunt ne sollicitudine infantis et dolore mammarum macerarer.

Minucio Felice, *Octavius*, 31, 1-3

Et de incesto convivio fabulam grandem adversum nos daemonum coitio mentita est, ut gloriam pudicitiae deformis infamiae aspersione macularet, ut ante exploratam veritatem homines a nobis terrore infandae opinionis averteret. Sic de isto et tuus Fronto non ut adfirmator testimonium fecit, sed convicium ut orator adpersit: haec enim potius de vestris gentibus nata sunt. Ius est apud Persas misceri cum matribus, Aegyptiis et Athenis cum sororibus legitima conubia, memoriae et tragoediae vestrae incestis gloriantur, quas vos libenter et legitis et auditis; sic et deos colitis incestos, cum matre, cum filia, cum sorore coniunctos.

Tertulliano, *Apologeticum* 50, 12-16

Sed hoc agite, boni praesides, meliores multo apud populum, si illis Christianos immolaveritis, cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra. Ideo nos haec pati deus patitur. Nam et proxime ad lenonem damnando Christianam potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiae apud nos atrociorum omni poena et omni morte reputari. Nec quicquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra; illecebra est magis sectae. Plures efficimur, quotiens metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum. Multi apud vos ad tolerantiam doloris et mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus; nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo. Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione eius concutitur ad requirendum, quid intus in re sit? Quis non, ubi requisivit, accedit, ubi accessit, pati exoptat, ut totam dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est, quod ibidem sententiis vestris gratias agimus. Ut est aemulatio divinae rei et humanae, cum damnamur a vobis, a deo absolvimur.

Lezione 23.

Damaso, *epigramma* 10

Hoc tumulo sacrata deo nunc membra quiescunt:
Hic soror est Damasi, nomen si quaeris, Irene.
Voverat haec sese Christo cum vita maneret,
Virginis ut meritum sanctus pudor ipse probaret. 5
Bis denas hiemes necdum compleverat aetas,
Egregios mores vitae praecesserat aetas,
Propositum mentis pietas veneranda puellae,
Magnificos fluctus dederat melioribus annis.
Te germana soror nostri tunc testis amoris, 10
Cum fugeret mundum, dederat mihi pignus honestum.
Quam sibi cum raperet melior tunc regia caeli,
Non timui mortem, caelos quod libera adiret,
Sed dolui, fateor, consortia perdere vitae.
Nunc veniente deo nostri reminiscere, virgo, 15
Vt tua per dominum praestet mihi facula lumen.

Prudenzio, *Cathemerinon* 1 (al canto del gallo)

Ales diei nuntius		Suadet quietem linquere	
Lucem propinquam praecinit,		Iam iamque venturo die,	20
Nos excitator mentium		Vt, cum coruscis flatibus	
Iam Christus ad vitam uocat.		Aurora caelum sparserit,	
"Auferte" clamat "lectulos 5		Omnes labore exercitos	
Aegros soporos desides,		Confirmet ad spem luminis.	
Castique recti ac sobrii		Hic somnus ad tempus datus	25
Vigilate; iam sum proximus."		Est forma mortis perpetis;	
Post solis ortum fulgidi		Peccata, ceu nox horrida,	
Serum est cubile spernere, 10		Cogunt iacere ac stertere.	
Ni parte noctis addita		Sed vox ab alto culmine	
Tempus labori adieceris.		Christi docentis praemonet	30
Vox ista, qua strepunt aves		Adesse iam lucem prope,	
Stantes sub ipso culmine		Ne mens sopori serviat,	
Paulo ante quam lux emicet, 15		Ne somnus usque ad terminos	
Nostri figura est iudicis.		Vitae socordis opprimat	
Tectos tenebris horridis		Pectus sepultum crimine	35
Stratisque opertos segnibus		Et lucis oblitum suae.	

Lc 1, 26-38

[26] In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, [27] ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David: et nomen virginis Maria. [28] Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. [29] Quae cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. [30] Et ait angelus ei: Ne timeas, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum. [31] Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum: [32] hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in aeternum, [33] et regni ejus non erit finis.

Giovenco, *Evangeliorum libri 1*, 53-79

ANGELVS AD MARIAM

Tunc maiora dehinc idem mandata minister

Detulit ad Mariae dimissus virginis aures.

Haec desponsa suo per tempora certa propinquo

Abdita virgineis caste pubescere tectis 55

Et servare diem iussis permissa parentum.

Ad quam tranquillum sermonem nuntius inquit:

"Salve, progenie terras iutura salubri,

Desine conspectu mentem turbare verendo.

Nam tua concipient caelesti uiscera iussu 60

Natum, quem regnare Deus per saecula cuncta

Et propriam credi subolem gaudetque iubetque.

Hunc ubi sub lucem dederis, sit nomine Iesus."

Paolino di Nola, *carm.* 31, 1-20

Ante puer patribus claris et nomine avito

Celsus erat, sed nunc celsus agit merito,

Quem dominus tanto cumulavit munere Christus,

Vt rudis ille annis et novus iret aquis,

Atque bis infantem spatio aevi et fonte lavacri 5

Congeminata deo gratia proveheret.

Heu! quid agam? dubia pendens pietate laboro,

Gratuler an doleam? dignus utroque puer;

Cuius amor lacrimas et amor mihi gaudia suadet,

Sed gaudere fides, flere iubet pietas. 10

Ambrogio, *Aeterne rerum conditor*

Aeterne rerum conditor,

noctem diemque qui regis

et temporum das tempora,

ut alleves fastidium; 5

praeco diei iam sonat,

noctis profundae pervigil,

nocturna lux vianibus,

a nocte noctem segregans.

hoc excitatus lucifer 10

solvit polum caligine,

hoc omnis errorum chorus

vias nocendi deserit.

hoc nauta vires colligit,

pontique mitescunt freta; 15

hoc ipse petra ecclesiae

canente culpam diluit.

surgamus ergo strenue:

gallus iacentes excitat

et somnolentos increpat; 20

gallus negantes arguit.

gallo canente spes redit,

aegris salus refunditur,

mucro latronis conditur,

lapsis fides revertitur. 25

Iesu, labentes respice,

et nos videndo corrige;

si respicis lapsus cadunt

fletuque culpa solvitur.

Lezione 24.

Symm. *Relatio* III, 9

Romam nunc putemus adsistere atque his vobiscum agere sermonibus: Optimi principum, patres patriae, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit! Utar caerimoniis avitis; neque enim paenitet. Vivam meo more, quia libera sum! Hic cultus in leges meas orbem redegit, haec sacra Hannibalem a moenibus, a Capitolio Senonas reppulerunt. Ad hoc ergo servata sum, ut longaeva reprehendar?

Ambr. *epist.* 18,7 *ad Imperatorem Valentinianum* (384 d.C.)

Paenitet lapsus et vetusta canities pudendi sanguinis traxit ruborem. Non erubesco cum toto orbe longaeva converti. Verum certe est quia nulla aetas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quae emendare se non potest. «Non annorum canities est laudata, sed morum» (Sap. 4, 8sq.). Nullus pudor est ad meliora transire. Hoc solum habebam commune cum barbaris, quia deum antea nesciebam. Sacrificium vestrum ritus est bestiarum cruore respergi. Quid in mortuis pecudibus quaeritis dei voces? Venite et discite in terris caelestem militiam. Hic vivimus et illic militamus. Caeli mysterium doceat me deus ipse, qui condidit, non homo, qui se ipsum ignoravit. Cui magis de deo quam deo credam? Quomodo possum vobis credere, qui fatemini vos ignorare quod colitis?

Ambr. *exc. Sat.* 1, 8

Nunc vero, frater, quo progrediar, quoque convertar? Bos bovem requirit, seque non totum putat, et frequenti mugitu pium testatur adfectum, si forte defecerit, cum quo ducere collo aratra consuevit: et ego te, frater, non requiram? Aut possim umquam oblivisci tui, cum quo vitae huius semper aratra sustinui, labore inferior, sed amore coniunctior, non tam mea virtute habilis quam tua patientia tolerabilis, qui pio semper sollicitus adfectu latus meum tuo latere saepiebas, caritate ut frater, cura ut pater, sollicitudine ut senior, reverentia ut iunior? Ita in unius necessitudinis gradu complurium mihi necessitudinum officia pendebas, ut in te non unum, sed plures amissos requiram.

Lezione 25.

Girolamo, *epistola* 57,5

Ad Pammachium de optimo genere interpretandi

Hactenus sic locutus sum quasi aliquid de Epistola commutaverim, et simplex translatio possit errorem habere, non crimen. Nunc vero cum ipsa Epistola doceat nihil mutatum esse de sensu, nec res additas, nec aliquod dogma confictum, "Faciunt nae intelligendo ut nihil intelligant (Terent. Prol. Andr.): et dum alienam imperitiam volunt coarguere, suam produnt. Ego enim non solum fateor, sed libera voce profiteor, me in interpretatione Graecorum, absque Scripturis sanctis, ubi et verborum ordo mysterium est, non verbum e verbo, sed sensum exprimere de sensu. Habeoque hujus rei magistrum Tullium, qui Protagoram Platonis, et Oeconomicon Xenophontis et Aeschinis ac Demosthenis duas contra se orationes pulcherrimas transtulit. Quanta in illis praetermiserit, quanta addiderit, quanta mutaverit, ut proprietates alterius linguae, suis proprietatibus explicaret, non est hujus temporis dicere. Sufficit mihi ipsius translatoris (Ciceronis) auctoritas, qui ita in Prologo earumdem orationum locutus est: "Putavi mihi suscipiendum laborem utilem studiosis, mihi quidem ipsi non necessarium. Converti enim ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes, inter seque contrarias, Aeschinis et Demosthenis: nec converti, ut interpres, sed ut Orator, sentiis iisdem et earum formis, tam figuris quam verbis ad nostram consuetudinem aptis. In quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere: sed genus omne verborum vimque servavi. Non enim me annumerare ea lectori putavi oportere, sed tanquam appendere. Rursum in calce sermonis: Quorum ego, ait, orationes, si, ut spero, ita expressero, virtutibus utens illorum omnibus, id est sentiis, et earum figuris, et rerum ordine: verba persequens eatenus, ut ea non abhorreant amore nostro. Quae si e Graecis omnia conversa non erunt: tamen ut generis ejusdem sint, elaboravimus." Sed et Horatius vir acutus et doctus, hoc idem in Arte Poetica erudito interpreti praecipit:

nec verbum verbo curabis reddere, fidus / interpres.

Terentius Menandrum, Plautus et Cecilius veteres comicos interpretati sunt. Numquid haerent in verbis: ac non decorem magis et elegantiam in translatione conservant? Quam vos veritatem interpretationis, hanc eruditi *κακοζηλίαν* nuncupant. Unde et ego doctus a talibus ante annos circiter viginti, et simili tunc quoque errore deceptus, certe hoc mihi a vobis objiciendum nesciens, cum Eusebii Caesariensis *Χρονικόν* in Latinum verterem, tali inter caetera usus sum Praefatione: "Difficile est alienas lineas insequentem, non alicubi excidere: et arduum, ut quae in alia lingua bene dicta sunt, eundem decorem in translatione conservent. Significatum est aliquid unius verbi proprietate: non habeo meum quo id efferam: et dum quaero implere sententiam longo ambitu, vix brevis vitae spatia [al. brevia spatia] consummo. Accedunt hyperbatorum anfractus, dissimilitudines casuum, varietates figurarum: ipsum postremo suum, et, ut ita dicam, vernaculum linguae genus. Si ad verbum interpretor, absurde resonant: si ob necessitatem aliquid in ordine, vel in sermone mutavero, ab interpretis videbor officio recessisse." Et post multa, quae nunc prosequi otiosum est, etiam hoc addidi: "Quod si cui non videtur linguae gratiam in interpretatione mutari, Homerum ad verbum exprimat in Latinum. Plus aliquid dicam: eundem sua in lingua prosae verbis interpretetur: videbis ordinem ridiculum, et Poetam eloquentissimum vix loquentem."

Lezione 26.

Ex 3,21-22

Daboque gratiam populo huic coram Aegyptiis: et cum egrediemini, non exhibitis vacui: / sed postulabit mulier a vicina sua et ab hospita sua, vasa argentea et aurea, ac vestes: ponetisque eas super filios et filias vestras, et spoliabitis Aegyptum.

Agostino, *De doctrina christiana*, 40, 60

Ab ethnicis si quid recte dictum, in nostrum usum est convertendum.

Philosophi autem qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostrae accomodata dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam ab iniustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Sicut enim Aegyptii non tantum idola habebant et onera gravia, quae populus Israel detestaretur et fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro et de argento et vestem, quae ille populus exiens de Aegypto sibi potius tamquam ad usum meliorem clanculo vindicavit, non auctoritate propria, sed praecepto Dei, ipsis Aegyptiis nescienter commodantibus ea quibus non bene utebantur 61; sic doctrinae omnes Gentilium non solum simulata et superstitiosa figmenta gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quae unusquisque nostrum, duce Christo, de societate Gentilium exiens, debet abominari atque devitare, sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores et quaedam morum praecepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos. Quod eorum tamquam aurum et argentum quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinae providentiae, quae ubique infusa est, eruerunt, et quo perverse atque iniuriose ad obsequia daemonum abutuntur, cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad usum iustum praedicandi Evangelii. Vestem quoque illorum, id est, hominum quidem instituta, sed tamen accomodata humanae societati qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit in usum convertenda Christianum.

Lezione 27.

Confessiones 1, 1, 1-2

Magnus es, Domine, et laudabilis valde: magna virtus tua et sapientiae tuae non est numerus. Et laudare te vult homo, aliqua portio creaturae tuae, et homo circumferens mortalitatem suam, circumferens testimonium peccati sui et testimonium, quia superbis resistis; et tamen laudare te vult homo, aliqua portio creaturae tuae. Tu excitas, ut laudare te delectet, quia fecisti nos ad te et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Da mihi, Domine, scire et intellegere, utrum sit prius invocare te an laudare te et scire te prius sit an invocare te. Sed quis te invocat o nesciens te? Aliud enim pro alio potest invocare nesciens. An potius invocaris, ut sciaris? Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credunt sine praedicante? Et laudabunt Dominum qui requirunt eum. Quaerentes enim inveniunt eum et invenientes laudabunt eum. Quaeram te, Domine, invocans te et invocem te credens in te; praedicatus enim es nobis. Invocat te, Domine, fides mea, quam dedisti mihi, quam inspirasti mihi per humanitatem Filii tui, per ministerium praedicatoris tui.

Confessiones 3, 4, 7-8

Inter hos ego inbecilla tunc aetate discebam libros eloquentiae, in qua eminere cupiebam fine damnabili et ventoso per gaudia vanitatis humanae. Et usitato iam discendi ordine perveneram in librum cuiusdam Ciceronis, cuius linguam fere omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber ille ipsius exhortationem continet ad philosophiam et vocatur 'Hortensius'. Ille vero liber mutavit affectum meum, et ad te ipsum, domine, mutavit preces meas, et vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili, et surgere coeperam ut ad te redirem.

Confessiones 8, 12, 29-30

Dicebam haec et flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis et crebro repetentis, quasi pueri an puellae, nescio: 'tolle lege, tolle lege.' Statimque mutato vultu intentissimus cogitare coepi utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantitare tale aliquid. Nec occurrebat omnino audisse me uspiam, repressoque impetu lacrimarum surrexi, nihil aliud interpretans divinitus mihi iuberi nisi ut aperirem codicem et legerem quod primum caput invenissem. Audieram enim de Antonio quod ex evangelica lectione cui forte supervenerat admonitus fuerit, tamquam sibi diceretur quod legebatur: Vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in caelis; et veni, sequere me, et tali oraculo confestim ad te esse conversum. Itaque concitus redii in eum locum ubi sedebat Alypius: ibi enim posueram codicem apostoli cum inde surrexeram. Arripui, aperui, et legi in silentio capitulum quo primum coniecti sunt oculi mei: Non in comessionibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis, non in contentione et aemulatione, sed induite dominum Iesum Christum et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis. Nec ultra volui legere nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiae quasi luce securitatis infusa cordi meo omnes dubitationis tenebrae diffugerunt.

Lezione 28.

Pervigilium Veneris 1-12

Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.

Ver novum, ver iam canorum, vere natus orbis natus est,
Vere concordant amores, vere nubunt alites,
Et nemus comam resolvit de maritis imbribus.
Cras amorum copulatrix inter umbras arborum 5
inplicat casa virentes de flagello myrteo:
Cras Dione iura dicit fulta sublimi throno.

Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.

Tunc cruore de superno spumeo pontus globo
Caeruleas inter catervas, inter et bipedes equos 10
Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.

Ausonio, *Cupido cruciatus*, 45-64

Quas inter medias furuae caliginis umbram 45
Dispulit inconsultus Amor stridentibus alis.
Agnovere omnes puerum memorique recursu
Communem sentire reum, quamquam umida circum
Nubila et auratis fulgentia cingula bullis
Et pharetram et rutilae fuscarent lampados ignem. 50
Agnoscunt tamen et vanum vibrare vigorem
Occipiunt hostemque unum loca non sua nactum,
Cum pigros ageret densa sub nocte volatus,
Facta nube premunt; trepidantem et cassa parantem
Suffugia in coetum mediae traxere catervae. 55
Eligitur maesto myrtus notissima luco,
Invidiosa deum poenis. Cruciaverat illic
Spreta olim memorem Veneris Proserpina Adonin.
Huius in excelso suspensum stipite Amorem
Devinctum post terga manus substrictaque plantis 60
Vincula maerentem nullo moderamine poenae
Afficiunt. Reus est sine crimine, iudice nullo
Accusatur Amor. Se quisque absolvere gestit,
Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.

Claudiano, *De raptu Proserpinae*, praefatio

Inventa secuit primus qui nave profundum,
et rudibus remis sollicitavit aquas,
qui dubiis ausus committere flatibus alnum,
quas natura negat, praebuit arte vias.
Tranquillis primum trepidus se credit undis, 5
litora securo tramite summa legens:

mox longos temptare sinus et linquere terras
et leni coepit pandere vela Noto.
Ast ubi paulatim praeceps audacia crevit
cordaque languentem dedidicere metum, 10
iam vagus irrumpit pelagus caelumque secutus
Aegaeas hiemes Ioniumque domat.

Rutilio Namaziano, *De reditu* 1, 511-526
Lutea protulerat sudos Aurora iugales:
Antennas tendi littoris aura iubet.
Inconcussa vehit tranquillus aplustria flatus,
mollia securo vela rudente tremunt.
Adsurgit ponti medio circumflua Gorgon 515
inter Pisanum Cyrnaicumque latus.
Adversus scopulos, damni monumenta recentis:
Perdus hic vivo funere civis erat.
Noster enim nuper iuvenis maioribus amplis,
nec censu inferior coniugiove minor, 520
impulsus furiis homines terrasque reliquit
et turpem latebram credulus exul agit.
Infelix putat illuvie caelestia pasci
seque premit laesis saevior ipse deis.
Num, rogo, deterior Circaeis secta venenis? 525
Tunc mutabuntur corpora, nunc animi.